



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

404. An Coadiutor & Coadiutus simul possint inservire & interesse divinis,  
aliisque functionibus & actibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

*Quaestio 403. Quid in particulari possit vel non possit Coadjutor Episcopi?*

**R**espondeo primò: posse Coadjutorem per urbem; de licentia tamen Episcopi Coadjuti benedicere populo. Barbof. *loc. cit. num. 41.* juxta Declar. S. Congregat. Rituum. 31. Jan. 1561. apud Pisec. in pr. *Episc. p. 1. c. 1. n. 10.* Campanil. & alios. Idem tenet Gonz. *loc. cit. n. 4. in fine.* ex Navar. *conf. 3. n. 3. & 4. de Cler. agrot.* inquit: potest Coadjutor Episcopi in spiritualibus dare benedictionem, & sedere in Cathedra sicut ipse Episcopus.

2. Secundò: Episcopus Coadjutor durante vita sui principalis non potest solenniter, & pontificaliter ingredi civitatem aut diocesim. Tondur. *qq. benef. p. 3. c. 194. n. 1.* Barbof. *loc. cit. nu. 35.* juxta ejusdem S. Congregat. rituum declarationem. Ex eo liquidem, quòd non habeat jus in re respectu Episcopatus, sed tantum ad rem (quod etsi sit considerabile quòd ad dispositiones facientes mentionem de jure quæ sit non tollendo, ut Gonz. *loc. cit. n. 79.* non est tamen tale jus; quòd operetur, ut ipse sit Prælatus ecclesiæ. Tondur.) non debet recognosci tanquam superior & caput, sed ut Coadjutor: & eo magis, quia contingere potest, ut non succedat in Episcopatu, sed prior moriatur. Barbof. juxta verba dictæ declarationis.

3. Tertio: Coadjutor non habet facultatem dandi indulgentias; sed si quas Archiepiscopus concedere potest & vult, ejus nomine sunt publicanda. Barbof. *num. 43.* juxta eandem declarationem.

4. Quarto: Coadjutor Archiepiscopi non potest uti cruce in divinis, nec in functionibus pontificalibus; neque dum incedit per urbem; cum crux sit signum & ornamentum dignitatis & jurisdictionis, quarum utraque caret Coadjutor. Barbof. *n. 37.* apud quem vide plura alia spectantia ad ceremonialia, quæ potest, aut nequit Coadjutor.

5. Quinto: Denique non potest Coadjutor Episcopi sanæ mentis cum futura successione concedere jus patronatus. Gonz. *gl. 5. §. 2. num. 35.* citans Mandol. in *reg. 11. q. 5. n. 7. & 8.* Achil. *decis. 1. per totam de reb. Eccl. non alienand.* De cætero quid possit in materia beneficii; vide post tractatum speciali quæst.

*Quaestio 404. Num Coadjutor & Coadjutus simul possint infervere & interesse divinis, aliisque functionibus & actibus?*

**R**espond. Non posse utrumque simul infervere ut præbendam seu Canonicum, seu ut representantes duos præbendatos; cum sit una tantum præbenda; uni autem præbendæ formaliter simul infervere nequeunt duo in eodem officio, tenent Castrop. *tract. 13. d. 1. p. 10. n. 24.* Garc. *p. 4. c. 5. n. 107.* Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. n. 50.* ubi, quòd Coadjutor & Coadjutus non possint simul eodem tempore interesse uti Canonicos in Choro aut Capitulo, possit tamen unus interesse ut Canonicus, & alter ut privatus; pro qua sententia citatur quoque à Barbof. *Besold. de præcedentia. c. 2. n. 25. in fine.*

Non tamen esse inconveniens, quòd simul interesse possint in habitu canonicali in processionibus, & Missarum solenniis, Coadjutus in loco suæ ancianitatis, & Coadjutor in novissimo loco

post cæteros Canonicos, tenent Sebast. Cæsar de *Eccl. Hierarch. d. 14. §. 9. n. 13.* & qui eum refert, Barbof. *cit. c. 10.* Sic ait Remouch. *c. 15. n. 6.* possunt ambo esse simul in Capitulo, sub diversis tamen respectibus, sufficitque, quòd in omnibus sit aliqua subordinatio. Sic quoque respondisse S. Congregationem Concilii 5. Jun. 1655. nimirum Coadjutores Canonicorum posse interesse Choro & divinis officiis, etiam quando Canonici Coadjuti intersunt, cum his tamen conditionibus: consentientibus Coadjutis & in ultimo loco; non verò in Capitulis & aliis actibus, testatur Pignat. *tom. 4. conf. 185. n. 40.* Ad fundamentum quoque Garcæ, quòd non possint representare duos Canonicos, sed unum solum, respondet Barbof. & Cæsar, id solum concludere, quòd duplicem vocem non habeant, nec duplices lucentur distributiones; non verò quòd ad interessentiam, quæ utrique diverso respectu convenit; uti id patet in Rectore principali & ejus Vicario, dum simul in ecclesia interesse potest Rector principalis & talis Vicarius ut Vicarius; & sic usu receptum videmus in Episcopo & ejus Vicario generali. De cætero posse utrumque simul deservire uni præbendæ in diversis ejusdem præbendæ officiis, v. g. ut dum unus assistit Choro, alter interim existit in Capitulo vel in negotiis ecclesiæ, aut temporalium regimine occupatur, dubium non est. Castrop. *loc. cit.* ubi etiam, quòd nil veter, quò minus unus assistat divinis ut Canonicus, & alter ut persona privata; cum in isto casu unus solus assistat canonicaliter, & neque Coadjutus ob Coadjutorem vel contra privari debeat potestate interveniendi.

*Quaestio 405. An Coadjutores Canonicorum habeant vocem activam, & passivam in electionibus Canonicorum; & in officiis sede vacante?*

**R**espond. affirmative. Garc. *p. 4. c. 5. num. 87. & 88.* Castrop. *loc. cit. num. 17.* citans Leo. in *thes. for. eccles. c. 19. n. 69. & 70.* Conceditur namque Coadjutori plena & libera potestas præbendam administrandi pèrindè, ac si propriarius præfens esset. Item conceduntur omnes prærogativa & præminentia, quæ Coadjuto competunt. Conceditur etiam illi habere vocem in Capitulo; sed ex qualibet harum concessione eligere & eligi potest. ergò. Castrop. Proceditque id ipsum de voce passiva, etiam in Coadjutoria concessione dictum esset, quòd possit habere vocem activam, nihil dicendo de passiva. Verba enim illa ad majorem declarationem debent cènseri prolata; non verò taxativè; seu ad potestatis diminutionem. Garc. *loc. cit. num. 88.* & ex eo Castrop.

*Quaestio 406. An Coadjutor possit optare?*

**R**espond. Possit eum in ecclesia, ubi viget consuetudo optandi, optare, non sibi, sed Coadjuto. Barbof. *de Jur. Eccl. l. 3. n. 71.* citans Monet. *de opt. can. q. 8. n. 152.* & Declarationem S. Congregat. Rituum in Colombriensi 16. Septemb. 1606. Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. n. 38.* & *tom. 1. annot. 6. n. 14.* ubi, quòd si Coadjutus consentiat vel non dissentiat, Coadjutor per se optare possit in beneficium Coadjuti.